S. Intelligis Dn. Johannes, rem mihi exemplo esse, si avellatur ab una lectione matutina Luderus. Eam enim cum utilitate sua audiunt illius ὁμιλῆται. Testem hujus asseverationis habeo Dn. Consulem amplissimum, qui ipse interfuit aliquoties. Haud opinor dices, in Examine, ut appellatur, illos ediscere non debuisse antehac gradus praesentiae Dei, & in Dialecticis praecepta de UBI. At his diebus & aperuimus & aperiemus fontes ejus doctrinae pernecessariae in explicatione uberiore τοῦ ποῦ. Hinc aestima nostra caetera. Non dubito, te si diligentius cogitabis, quod res est, illum hortaturum esse, ut in coepto pergat. Si vel nihil in eo ponas, quod nobis studia juventutis & cordi & demandata sunt. Sed, quod est humanitatis tuae, in eo etiam te ponere aliquid arbitramur. Si ad ea duntaxat quae statim assequitur prima aetas, juventus admittenda & adhibenda est, ne quidem τὰ [illegible] γεωμετρῶν discet. Ego autem expertus sum, quod vere poeta dixerit, a teneris assuescere multum est.

Vale

Jo: Gratius
Professor etc

Venerando V., pietate
& doctrina ornatiss.: Dn.
Joannis Hiltebrando
Ecclesiastae ad Marghi ec.
amico suo.

Gratis